

PECTORALE EPISCOPI.

Vd.: *Cruz pector. Dignitar. etc.; Oscul. Parament.*

Ad dubium: an Pectorale seu formale sit ornamentum adhibendum private ab Episcopo, seu potius illo uti possint prima aliaeque dignitates et canonici sol. celebrantes juxta consuetudinem Ecclesiae Cath. Conimbr.?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4235 ad 10 die 15. Sept. 1753.

PECUNIAE

(Offerendae in ador. Crucis.).

Vd.: *Lanx; Parasc.* (ador. Crucis); *Oblatio in Parasceve.*

PENTECOSTES

(Octava.).

De missis votiv. priv. et de Req. in vig. Pent. et infra octav., vd.: *Missae votiva* (Dies et octavae prohib.); *Missae de Req.* (Privata; infra oct. sol.) *De Communicantes* in festo Pent., vd.: *Communic.*; *Exalt. s. crucis* (Conclus. orat. nota.).

PER EVANG. DICTA etc.

Ad dubium: Num in missa de *Requiem*, quamvis non osculatur Evangelium, recitari debeant verba: *Per Evang. dicta etc.*?

S. C. resp.: *Negative.*
Die 11. Sept. 1847 ad 12.

PERRUCCA.

Vd.: *Parrucca.*

SS. PETRUS ET PAULUS.

1) Commemoratio in Suffrag.

De eorum commemoratione uti Patronorum principalium in Suffragiis, vd.: *Suffragia* (decr. n. 4149); *SS. Petrus et Paulus* (Patroni princip. Romae.).

2) Commem. in eorum festo de omnib. ss. Apostolis.

Vd.: *Commemor. ss. Apostol. omm.*; *Vacatio ab operib.* (decr. Pii PP. VI.)

3) Dedicatio Basil. SS. Apost. Petri et Pauli.

De commem. octavae dedicationis Ecclesiae, si ea incidit in festo Dedic. Basil. SS. Apost. Petri et Pauli, vd.: *Missale* (Correctio, decreta inserenda etc.)

4) Festum cadens in die octava SS. Corp. Chr.

Ad dubium: Festum SSmi Corp. Jesu quum a memoratae Eccl. Capitulo celebretur cum oct. privilegiata, uti asseritur, ad instar Epiphaniae, quaeritur: num die oct. occurrente interdum in solemnitate s. ap. Petri et Pauli, officium debeat esse de iisdem ss. ap. cum commemoratione diei oct. SSmi Corp. Chr. vel potius de ipsa die oct. translato officio ss. apostolorum?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Juxta rubricas affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Atque ita rescripsit. n. 5131 ad 2 die 22. Julii 1848.

Vd.: *S. Joa. Bapt.* (transl. festi; decr. de die 14. Maii 1830.)

Placuit SS. mandare, ut declararetur, festivitates s. J. Bapt. et ss. ap. Petri et Pauli *in omni ditione regis catholici non esse transferendas*, quoties incidant in octavam SS. Corp. Chr., et decr. S. R. C. sive resolutionem 1. dubii in Santander. emissam 26. Jan. 1793 locum amplius non habere.

Romae 16. Decb. 1796 et 14. Maii 1803.

5) Festivitas Romae peragenda.

De die natali beatorum apostolorum Petri et Pauli per totam octavam Romae solemniter celebrando.

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Admirabilis sapientiae Dei sublimitas, cujus provida dispositione mundana regna constituuntur, ut Ecclesiae fidelium, quae divino comitata adjutorio peregrinatur in terris, vel amplificandae vel exercendae vel custodiendae, alternantibus miro ordine vicibus, inserviant, voluntariam humani generis caecitatem et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio et altiori pietate commiserans, cum, adveniente temporum plenitudine, sedentibus in tenebris et ambulatibus in umbra mortis evangelicae fidei lucem effundere decrevisset, Romanum praeparavit imperium, ut promptiores ad omnes populos praedicatio veritatis haberet accessus, quos unius civitatis dominatio sociaret. Imbuendi autem evangelio mundi partibus, accepta per spiritum sanctum omnium locutione linguarum, duodecim apostolis distributis, beatissimus Petrus princeps apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii, ut ea capta et in obsequium fidei subjugata, facilius universus orbis humilitati crucis superba colla submitteret. Ad hanc postea coapostolus ejus Paulus, aliis peragratis provinciis, adveniens, labore et meritis illi consociatus est, ut Roma tantorum apostolorum edocta magisterio, quae superstitionis studio profanos omnium gentium cultus atque errores receperat, veritatis amore, sanctae atque immaculae unius Dei religionis sedes evaderet.

§. 1. *Isti enim sunt Romanae Urbis patres verique conditores*, qui eam regnis coelestibus adscribendam melioribus auspiciis et fortunatoribus initiis condiderunt, non illi, quorum manibus cognato sanguine pollutis prima moenium fundamenta locata sunt, e quibus is, qui ei nomen dedit, fraterna caede foedatam facinio-

rosis hominibus, scelerum impunitate promissa, habitandam concessit. At vero isti e tenebris idololatriae ad Fidei lumen avocata, evangelica veritate imbuta, Christianis ornatam virtutibus et ad coeli sublimitatem erectam, praetioso Sanguine suo consecrarunt, et sacris Corporum suorum sepulcris adversus furentium haeresum insidias et frementis infernalis hostis impetus, tanquam duobus firmissimis munivere propugnaculis. Beatus autem apostolus Petrus, sacerdotali sede Romam translata, cum privilegium potestatis a Christo Domino acceptae ad omnes suos transmittat haeredes, supremi culminis praerogativam quodammodo cum ea communicavit, adeo ut per beati Petri cathedram princeps ac caput Orbis fieret et in immensum religione divina ejus cresceret dignitas, cujus latius quam dominatione terrena per totum Orbem protentebatur auctoritas. Quare etsi in sanctorum solemnitatibus commune universorum fidelium deceat esse gaudium, cum ob fidei unitatem in acceptis a Deo per servos suos beneficiis indiscreta sit omnium utilitas, tamen natalis ap. Petri et Pauli festivitas, praeter illam reverentiam, quam toto terrarum Orbe promeruit, speciali et propria Romanae Urbis exultatione veneranda est, ut, ubi praecipuorum apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae principatus.

§. 2. Vivit adhuc in mente hominum et nulla unquam delebit oblivio, vetus memoria et recordatio, quam merito et quanto per totum Orbem, sed praecipue in hac alma Urbe nostra, fuerit a primis Ecclesiae saeculis celebri cultu et splendida solemnitate natalis dies beatorum apostolorum celebratus. Siquidem ea die traditum est, Romanos pontifices praedecessores Nostros primum in basilica beati Petri in Vaticano, deinde in altera apostoli

tens, per hujusmodi Ecclesiae universae generale patrociniū non effici, quominus iidem sint quamplurium per Orbem Ecclesiarum Patroni simul peculiāres, sive, ut ajunt, principales et hoc nomine in earum calendariis inscribantur, ratus est, non decere, ut quae ipsorum patrociniū Roma prae caeteris laetatur, eos, ubi maxime oportet, sacris videlicet in fastis, Patronos non appellet.

Qua de re Sanctitas Sua, ut imposterum debita honoris et obsequii ratio servetur in recolenda memoria principum apostolorum, quorum praesenti ope ac tutela Christiana Respublica, undique procellis acta ac gravioribus in diem aerumnis confecta, tandem erigatur, mandat ac praecipit, memoratos apostolorum principes ss. Petrum et Paulum posthac Romano quoque calendario sive ordini divini officii pro degentis in Urbe cleri directione quotannis imprimendo similiter inscribi, titulo scilicet principium Urbis Patronorum non omisso.

Praeterea eadem Sanctitas Sua inhaerens decretis alias editis a S. R. C. et a praedecessoribus suis Romanis Pontificibus approbatis declarat, quod commemorationi, quae in unaquaque civitate et dioecesi, ex laudabili consuetudine et rubricarum dispositione, fit sanctorum suorum principalium inter suffragia sanctorum post laudes et vespas in divinis officii, quando commemorationes sive suffragia sanctorum recitantur, tum Romae tum alibi, ubicumque sancti apostoli Petrus et Paulus uti Patroni principales coluntur, satisfactum censeatur per eam commemorationem ordinariam seu communem, quae fit eorundem in universa Ecclesia post commemorationem Beatissimae Virginis Mariae. Atque ita Sanctitas Sua mandat, decernit et declarat.

Hac die 16. Octobris 1743.

Fr. J. A. Card. Guadagni Pro-Praefectus.

(Bull. Bened. XIV. t. II. Append. ad t. I. et II. p. XXIX.)

7) Translatio.

Festum ss. ap. P. et P. occurrens cum festo ss. Cordis Jesu, vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 1); *Fest. ss. Cord. Jesu* (festum privil. decr. n. 4579 ad 5). Occurrens cum festo dedicat., vd.: *Dedicatio Eccles.* (transl. decr. n. 4258; 4155; 5155). Excluditne alia festa festum ss. apost. ? vd.: *S. J. Bapt.* (transl. decr. de die 11. Maii 1743); *Occurrens cum festo s. J. Bapt.*, vd.: *S. J. Bapt.* (transl. decr. de die 11. Decb. 1844.)

8) Veneratio et nominatio in Canone in primis saeculis.

Vd.: *SS. Trinitas* (fest. privil. decr. n. 4680 nota ad finem.).

9) Vesperae.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Vesp. etc. decr. n. 4157); *Vesp. dim.* (decr. n. 4594, V., VI.)

Magistro caeremoniarum Basilicae Vaticanae S. R. C. pro declaratione infrascripti dubii humiliter supplicante, videlicet:

An primae et secundae vesperae diei octavae ss. apost. Petri et Pauli integrae recitari debeant, etiamsi in illis occurrat festum alicujus sancti aequalis ritus?

Item, nomine etiam totius capituli ejusdem Basilicae pro gratia, ut tota octava eorundem ss. apostolorum sit privilegiata, adeo ut nequeat in ea fieri officium alicujus sancti ritus semiduplicis aut etiam duplicis translati?

S. autem C. respondit:

„Servetur rubrica de concurrentia officii n. 7.“; ad aliam vero instantiam: „Nihil innovetur et serventur rubricae.“

Et ita decrevit. n. 3916.

Die 10. Sept. 1718.

S. PETRUS.

a) Apostolus.

1) Cognomia ejus.

Joannes XIX. PP. Jordano Ep. et cunctis Episcopis Galliae.

Petrum, cui claves coelorum commissae sunt, *confessorem* dicimus, quia Christum confessus est, dicens: Tu es Christus filius Dei vivi; et *apostolum* dicimus, quia ab ipso Domino ad praedicationem est missus; *martyrem* nominamus, quia praedicando Christum martyrio vitam finivit; *principem* apostolorum credimus, quia apostolos constituit, sicut est Marcus baptisate filius et Matthias sorte electus, Lucas discipulus apostoli Pauli et Barnabas et quamplures.

Anno 1032.

(Bull. r. t. I. p. 546. Ed. Aug. Taur. 1837.)

2) Festum Cathedralae Romae.

Paulus PP. IV.

Ineffabilis divinae providentiae altitudo voluit, ut B. Petrus apostolorum princeps, postquam Antiochia aliquamdiu resederat, Romam veniens Cathedralam in ea constitueret episcopalem eamque viginti quinque annis regeret et demum et cum eo gloriosus coapostolus suus Paulus romanam Ecclesiam plantarent et suo sanguine consecrarent, ut, ubi caput superstitionis erat, illic magistra fieret veritatis essetque ibi civitas sacerdotalis et regia et per s. b. Petri Cathedralam ipsa Urbs caput Orbis effecta latius praesideret religione divina, quam antea praesidisset dominatione terrena. Verum licet Urbs ipsa multo plus debeat eidem Petro, qui eam per Cathedralam episcopalem in ea constitutam regnis coelestibus inserendam condidit, quam illis, quorum studio prima moenia suo-

rum fundamenta jacta fuerunt, ex quibus is, qui illi nomen dedit, fraterna eam caede foedavit, festivitatem tamen ipsius Cathedralae, quae juxta antiquissimorum ss. patrum testimonium quintodecimo cal. Februarii fuit et in diversis Orbis christiani et praesertim Galliae et Hispaniae partibus dicta die sol. celebratur, minime observat celebretque solum festivitatem Cathedralae Antiochia, quae octavo cal. Martii juxta eorundem PP. testimonium fuit, tamquam idem Salvator noster festivitatem Cathedralae Romae nostris temporibus celebrandam seu potius antiquae celebritati restituendam reservaverit.

Quamobrem justum est etiam et conveniens, ut festivitatem Cathedralae Romae eo solemnius et magis pie celebremus, quo magis Urbs ipsa illi tenetur et debet, non dedignantem etiam inferiores Ecclesias in hoc imitari, festivitatem Cath. Romae eadem die quintodecimo cal. Febr. non solum in hac alma Urbe verum etiam in universis Orbis Ecclesiis, etiam in quibus illa ad praesens celebratur, sub dup. off. annis singulis perpetuis futuris temporibus sol. celebrari volumus, statuimus et mandamus.

Festivitate alterius Cathedralae, quae octavo calend. Martii celebratur, nihil propter hoc detrahendo, sed illam juxta laudabilem hactenus superinde observatam consuetudinem celebrari debere decernendo.

Datum Romae 6. Jan. 1558.

Vd.: *Cathed. s. Petri ap. Antioch.*

3) Fest. ad Vincula.

Cf.: *Dedicatio Ecclesiae* (Vesp.); *Commemoratio ss. ap. Petri et Pauli.*

Festum s. Petri ad Vincula 1. Aug. in regnis Hispaniae transfertur ad diem 2. Aug. propter octavam s. Jacobi ap. Si talis dies 2. Aug. est Dominica, transferendum est Officium s. Petri ad

Pauli Via Ostiensi, sacrum immortalis Deo in honorem principum apostolorum fecisse et Romanum populum frequentissimo coetu et celebri concursu utramque Basilicam, sacras apostolorum reliquias veneraturum, invisere solitum; immo ad eandem solemnem diem ex diversis Orbis partibus innumerabilem populi multitudinem, linguis, moribus et regionibus discretam, venerationis tamen erga beatos apostolorum cineres et triumphalem natalis eorum memoriam concordi obsequio sociatam, confluere consuevisse; Episcopos etiam aliosque sacros antistites, sublimes regiasque personas, ad eandem solemnitatem convenire solitas fuisse supplicesque se suasque coronas ad pedes Piscatoris et ad Scenofactoris monumentum, adstantibus ducibus et praefectis militum, prosternere. Haec igitur et alia hujusmodi diligenti animi consideratione nobiscum reputantes vehementer solliciti sumus, ne Nos, qui in tantis periculis et adversitatibus constituti sanctorum apostolorum valido indigemus auxilio, degeneres a majorum pietate et devii a sanctis eorum Institutis simus et quibus in accipiendis a Deo per beatos apostolos beneficiis et donis pares sumus, impares et ingrati in sacra eorum recolenda memoria et gratiis immortalis Deo agendis reperiamur, meritoque illorum destituamur praesidio, quorum negligimus solemnitatem.

§. 3. Volentes itaque cupientesque, Romani populi erga beatos apostolos devotionem, de quorum praesidio hanc Urbem nostram, eorum decoratam corporibus, coelestibus illustratam doctrinis et patenti apud Deum patrocinio semper adjutam, maxime confidere decet, quantum in Nobis est, augere atque amplificare, hac nostra in perpetuum valitura sanctione statuimus ac decernimus, *ut recurrente per ordinem natali die eorundem aposto-*

lorum non solum in Basilica Vaticana, ut nunc moris est, in pervigilio ejusdem festi, vesperae solemnes celebrentur (quibus interesse solet Romanus Pontifex cum S. R. C. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis aliisque Romanae curiae Praelatis, qui locum in capella Pontificia obtinent), et mane in eadem Basilica solemne sacrum ab ipso Romano Pontifice peragatur: et secundae vesperae ejusdem venerabilis diei ecclesiastico cantu ac ritu a capitulo et clero, praesente etiam S. R. C. Cardinali praefatae Basilicae Archipresbytero aliisque Cardinalibus ad eandem vesperarum solemnitatem devotionis causa accedentibus, persolvantur; sed ulterius per totam octavam singulis diebus in diversis Ecclesiis quippe aliqua apostolorum memoria aut praerogativa insignitis, a Nobis electis et inferius nominandis, Missa in Pontificalibus, concinente ac psallente schola cantorum aliisque Pontificiae nostrae capellae ministris inservientibus, ordine ac modo infra dicendo, rite peragatur, recolaturque memoria illustris triumphus eorum martyrii, quod toto terrarum Orbi, sed praecipue Romanae Urbi decus contulit et dignitatem.

§. 4. *Secunda igitur intra octavam die Missarum solemnia in Pontificalibus celebrentur, praesentibus venerabilibus fratribus Episcopis Pontificio throno assistentibus, in Basilica beati apostoli Pauli Via Ostiensi, in qua celebris est utriusque apostoli memoria, sacraeque Reliquiae servantur et veteri instituto solemnis eadem die beati apostoli Pauli commemoratio recolitur, qui si adhuc vivens in terris adeo Romanos diligebat, ut sine intermissione memoriam eorum in suis orationibus faceret, vehementerque cuperet eos videre et ad eos confirmandos aliquid spiritualis gratiae impertiri; quanto magis sperandum est, quod*

modo beatus in coelis pro alumnis suis Deum orare non cesset suamque opem humiliter postulantibus afferre non recuset, ut in illa coelesti confirmetur doctrina, in qua eos ore suo, per quod Christus loquebatur, erudit.

§. 5. *Tertia die in Ecclesia sanctae Pudencianae fiet solemne in pontificalibus Sacrum, intervenientibus dilectis filiis Protonotariis apostolicae sedis ex numero participantium. Nam perhibent hoc loco fuisse domum pudentis Senatoris, apud quem, cum primum Romam advenit, hospitatus est princeps apostolorum Petrus, qui in eadem domo verbum Dei gentibus annuntiavit, sacras habuit synaxes, Sacrum pluries fecit et Sacramenta Christi administravit; adeo ut in ea jacta sint quodammodo prima Romanae Ecclesiae fundamenta, omnium aliarum ecclesiarum matris et magistrae, quam superbae inferorum portae non vincunt.*

§. 6. *Quarta die in Ecclesia sanctae Mariae in Via-Lata missarum persolvantur solemnia, intervenientibus dilectis filiis causarum palatii nostri auditoribus. Locus enim iste antiqua est religione celeberrimus; ibi primum, ut fertur, hospitio exceptus est apostolus et magister gentium Paulus, qui, ut Acta apostolorum testantur, mansit biennio toto in suo conducto et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, praedicans regnum Dei et docens, quae sunt de domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.*

§. 7. *Quinta die ad missarum solemnia in pontificalibus celebranda convenient dilecti filii camerae apostolicae clerici in Ecclesia sancti Petri ad Vincula, seu titulo Eudoxiae. Haec enim prima Ecclesia esse traditur, quae a principe apostolorum fuit Romae immortalis Deo dedicata; in hac ejusdem beati apostoli sacra Vincula servantur, quae semper summo*

in honore ac veneratione apud fideles omnes fuerunt, pluraque benignissimus Deus miracula per ea efficere, ad laudem et gloriam servi sui, dignatus est. Haec enim sunt felices illi nexus, qui de manicis et compedibus in coronam mutandi, apostolum contingentes, martyrem reddiderunt. Felices catenae, quae nudatis pene ossibus inhaerentes, vivas reliquias de sanguinis sudore, jam attrita carne, rapuerunt: Felicia Vincula, quae reum suum usque ad Christi crucem, non tam condemnatura quam consecratura, miserunt.

§. 8. *Sexta autem die in Ecclesia sancti Petri in carcere, quo, ut fuerunt, beati apostoli Petrus et Paulus per plures menses arctissima custodia ad mortem usque detenti sunt, eorumque custodes, Processus et Martinianus, ad fidem conversi, subito ex proxima petra divina virtute fonte enato, fuerunt a Petro sacro baptismo abluti; et ubi in vinculis et teterrimi carceris foeditate invisentibus se Evangelium Dei praedicare, infirmos, sanare aegrotos et multa alia patrare miracula non desierunt. Missa autem in pontificalibus in Ecclesia superiori, ob inferioris angustiam, adstantibus dilectis filiis referendariis votantibus signaturae justitiae celebrabitur.*

§. 9. *Septima die Missa in pontificalibus, assistentibus dilectis filiis abbreviatoribus de Parco majori, celebrabitur in Ecclesia s. Petri in Monte Aureo, ubi, ut pia traditio fertur, beatus apostolus Petrus cruci affixus, martyrio coronatus est, capite ad terram verso et in sublime pedibus elevatis, asserens, se indignum, quod sic crucifigeretur, ut Dominus suus; sed ita e terra coelum, quo iter parabat, suscipiens, admirandae humilitatis virtutem, novique mysterii disciplinam et inter tormenta servavit.*

§. 10. *Demum octava die, festiva BB. Petri et Pauli apostolorum principum solemnitas in sancta Lateranensi Basilica absolvetur.* Ibi enim supra altare majus in argenteis imaginibus, margaritis lapidibusque pretiosis ornatis, sacra apostolorum capita, quae olim in Ecclesia s. Laurentii ad Sancta Sanctorum servabantur, a fel. rec. Urbano Papa V. praedecessore Nostro reposita fuerunt. Beata capita, quae sanctarum illarum animarum sedes, nihil humile aut mundanum, sed coelestia solum ac divina cogitarunt; quae non terrenum pulverem aut humanas sardes, sed divinas revelationes et coelestia arcana recipere meruerunt; quae in novissima omnium mortuorum resurrectione, aeternis ornanda sertis, corporibus ac animabus suis, supernae patriae beatitudine fructura conjungentur. Mane Missarum solemnitas in pontificalibus, praesente venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, eo majori ritu et solemnitate, qua sacri hujusmodi Cardinalium conventus peragi unquam solent, celebrentur. Vespere autem sacras apostolorum reliquias veneraturi solemniter cultu et pari animi devotione ad eandem Basilicam pergant dilecti filii nobiles viri Senator Urbis et Romanorum civium et camerae Urbis conservatores; quorum pietatis exemplo commotus ad debitas immortalitati Deo gratias reddendas, pro inefabili munere ei collato in beatorum apostolorum Petri et Pauli patrocinio, universus Romanus populus celebri frequentia et aemula festinatione accedere contendat.

§. 11. Pomeridiano autem tempore aliorum dierum omnes confraternitates hujus almae Urbis, per venerabilem fratrem nostrum S. R. C. Cardinalem vicarium pro tempore publico edicto intimandae, stans suis quaeque diebus ad eam Ecclesiam, ubi mane Missa in

honorem apostolorum celebrata, pie ac devote procedant. Singulis autem confratribus processionaliter accedentibus septem annos et totidem quadragenas et aliis omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui eandem Ecclesiam, ubi statio erit, religiose visiterint, de omnipotentis Dei misericordia confisi, centum dies de injunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentis misericorditer in domino relaxamus.

§. 12. Monemus autem in domino et instantius rogamus omnes christifideles in hac alma Urbe natos et commemorantes, ut pia majorum exempla in veneratione erga beatos apostolos laudabili studio aemulantes, in Ecclesiis a Nobis constitutis devota celebritate conveniant et spirituali laetitia exultantes laudantesque Deum, qui glorificatur in sanctis suis, tantam natalis diei apostolorum celebrent solemnitatem. Siquidem de praesidio divinitus Nobis, ad exemplum patientiae et confirmationem fidei, praeparato, in horum excellentia patrum merito est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantam altitudinem provexit, ut horum alteri magnum et mirabile consortium potentiae suae tribuerit divina dignatio, alter vero vas electionis et specialis doctor gentium superno oraculo et coelesti sententia fuerit designatus. Praeterea meminerint saepe hanc Urbem potenti apostolorum protectione a barbarorum incursibus, a caede, a depopulatione, ab incendiis, a terrae motibus aliisque innumeris periculis et calamitatibus liberatam. In mentem reverent innumera illa prodigia et gratias, quas ad gloriam servorum suorum, Brandeorum vel Catenarum contactu vel sola oratione aut nominis invocatione, antiquorum fidelium pietas ac devotio ab omnipotenti Deo obtinuit. Demum in me-

moria habeant verba illa beati Leonis praedecessoris Nostri ad Romanum populum ex beati Petri cathedra clamantis et dicentis: *Licet omnem Ecclesiam, quae in toto est Orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen praecipue inter caeteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa apostolicae petrae arce fundatos et Dominus Noster Jesus Christus cum omnibus redemit et beatus apostolus Petrus prae omnibus erudit.*

§. 13. Caveant igitur, ne sanctis suorum pastorum monitis inobsequentes, ne immemores beneficiorum Dei, ne irreligiosi erga servos ejus beatos apostolos et absimiles majorum pietati inveniantur. Magnum enim periculum est esse homines, per oblivionem beneficiorum, ingratos Deo et servis ejus, nec de gratiis recordari. Sciunt denique, quod beatos apostolos, qui apud Deum intercessores sibi esse non curat, suarum culparum severos iudices habebit et quos conciliatores supernae miserationis habere contemnit, offensae majestatis sentiet ultores.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, decreti, statuti, definitionis et monitionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud s. Mariam maj. anno Incarnat. Dominic. Kal. Apr. 1743. (Bull. Bened. XIV. t. I. p. 270.)

6) Patroni Principales Romae.

DECRETUM,

quod ss. apostolorum principes Petrus et Paulus Urbis Romae patroni principales nuncupentur.

Cum omnium communi aequae ac pio Ecclesiarum more institutum sit, ut,

quos e sanctorum numero sibi singulae Patronos elegerint, eos etiam, adjecto illustri Patronorum titulo, suis unaquaeque calendariis inscribant: minime dubitandum est, quin Romana potissimum Ecclesia, principum apostolorum Petri et Pauli martyrio consecrata ac supra alias in summum honoris et gloriae culmen evecta, a fidei primordiis eosdem apostolos uti Patronos habuerit apud Deum seque in illorum tutela positam jure putaverit. Clarum antiquae huic traditioni perhibent testimonium tum sanctus Leo Papa serm. I. de ss. Petro et Paulo, ubi eos Romae Patronos nominat speciales: *sicut autem, inquit, et Nos experti sumus et Nostri probavere Majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitae, ad obtinendam misericordiam Dei, semper Nos specialium Patronorum orationibus adjuvandos: tum quoque sanctus Maximus Episcopus Taurinensis Homil. 3. de iisdem, ubi eos Romae Patronos appellat peculiare: Horum hodie concursu laetissimo recolat Roma martyrium; et quorum dudum impia persecuta est sanguinem, eorum nunc peculiari devota Patrocinio gloriatur.* Eisdemque celebri disticho concinit sanctus Venantius Fortunatus:

A facie hostili duo propugnacula praesunt: Quae fidei turre Urbis caput Orbis habet.

At quia compertum est, in ordine divini officii debita hac nota ac insigni titulo Patronorum principalium almae Urbis, sanctos eosdem apostolos nuncupari non consuevisse, eam fortasse ob causam, quod s. Petrus et Paulus catholicae Ecclesiae Patroni caeteroquin generales habeantur, eaque propter in communibus suffragiis ubique per Ecclesiam ipsam invocentur: Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIV. solerter adver-